SIREN LACERTINA

♦

LINNÉ

S. A. N.

SIREN LACERTINA,

DISSERTATIONE ACADEMICA
ORBI ERUDITO DATA
QUAM VENIA NOB. ET EXPERIENT. FAC. MED.
AD REG. ACAD. UPSAL.

PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO et EXPERIENTISSIMO

D:NO DOCT. CAROLO A LINNÉ,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI;
S:Æ R:Æ M:TIS SUEC. ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD. ACAD. PARIS.
PETROPOL. IMPER. N. C. HOLM. UPSAL.
LOND. ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERNENS. EDINB.
NIDROS. MEMBRO,
PUBLICE VENTILANDAM SISTIT
STIPENDIARIUS REGIUS
ABRAHAMUS ÖSTERDAM,
HOLMIENSIS
IN AUDITORIO CAROLINO MAJORI
DIE XXI JUNIJ ANNI MDCCLXVI.
H. A. M. C.

UPSALIÆ.

A

MONSEIGNEUR

LE COMTE

CHARLES FREDERIC PIPER,

PRESIDENT AU COLLEGE ROYALE DES FINANCES

ET

CHEVALIER ET COMMANDEUR DES ORDRES DU ROI.

MONSEIGNEUR,

Vos éminentes qualités & Votre amour de la Patrie, qui Vous eſt redevable des plus grands ſervices, ſont reſpectées de tout le monde. S'il falloit,

en

QH
43.5
S619
RB
SI

en dreſſer le tableau, je ne ſaurois être aſſez hardi pour y mettre mon foible pinceau. Ce ne ſont, Monſeigneur, que les bienfaits, dont Vous avez daigné me combler, que je ſouhaiterois de ſavoir dignement celebrer. Mais la condeſcendance, la douceur, & la liberalité, avec les quelles Vous aimez à encouragér les gens de ma claſſe, ne ſe laiſſant pas ſeparer de leur ſource, la grandeur de Vôtre Ame; je trouve auſſitôt cette tâche même bien au deſſus de mes forces. Permettez donc, Monſeigneur, que ces prémices de mes études Academiques Vous ſoient ſimplement préſentées devant les yeux du Public, comme une légere marque de ma très humble réconnaiſſance. Elle eſt trop vive, pour pouvoir jamais ſ'éteindre: & je me juge moi même indigne de la vie, ſi je ceſſe d'etre avec ſoumiſſion & le plus profond reſpect

MONSEIGNEUR,

votre très humble & très obeiſſant ſerviteur.

A. ÖSTERDAM.

VIR AMPLISSIME atque CELEBERRIME

DNE OLAVE ACREL,

M. D. CHIRURGIÆ PROFESSOR, NOCODOCHII HOLMIENSIS ET LEGIONIS VEXILLI EQUESTRIS CHIRURGE PRIMARIE, ACAD. SC. SVECIÆ ET CHIR. PARIS SOCIE,

PATRONE SUMME

Permulti, quæ quantaque sciant, Tibi, Vir Celeberrime, accepta referunt, & hi adeo sæpe tuas dixerunt laudes, ut non nisi promerita eadem ego inculcanda nunc habeam. Beneficentia enim Tua, mihi in dies collata, vel maxima, facit, ut optarem verba invenire, animo longe deditissimo responsura. Tibi, inquam, Vir Celeberrime debeo cum quicquid calleam in arte Chirurgica, tum fortunam meam totam: recipias has paginulas, gratæ mentis pignora, vehementer rogo. Utinam, dum, per annos bene multos, omnia Tibi contingant felicia, faustaque, mihi quoque favere velis. De cetero permaneo & permansurus sum,

AMPLISSIMI atque CELEBERRIMI Nominis TUI

cultor humillimus

A. ÓSTERDAM.

OPINIONUM COMMENTA DELET DIES.

§. I.

Scientias a Græcis præcipue ad nos perveniſſe notiſſimum eſt. Quantos vero in illis fecerint progreſſus exemplis ſummorum in varia litteratura virorum facile oſtendi poterit. Sic in Medicina Hippocrates, in Geometria Euclides, in Ethica Epictetus, in Poeſi Homerus, in Eloquentia Demoſthenes, in Architectura & re nautica alii excelluerunt. Jovem ſummum quidem agnoſcebant univerſi Rectorem, ſed malas ipſi tribuere proprietates non verebantur; maxime ſcortationibus eum fecerunt obnoxium, unde alii Dii Deæque progignerentur, quibus inter ſe commixtis immenſa fingebatur numinum familia & genealogia. Romani ad quos ab illis tranſit imperium, ſcientias eorum, mores & deorum cultum receperunt. In hoc vero multo longius ſunt

progressi, ut vix mons, fluvius aut fons ullus esset, cui non sua Nympha, suum tutelare numen foret adsignatum. Optandum autem fuisset, ut majores in ceteris disciplinis fecissent progressus; sed gens bellicosa, de finibus imperii prorogandis tantopere sollicita, neminem tandem nisi ex fortitudine bellica virum æstimavit, unde post fata Imperatoris Marci Aurelii summa rerum pugnacissimis tantum committi solebat, & milites, qui nomen suum vix scribere noverant, Imperatores eligebantur; Eruditi pro ignavis habiti, & litteræ seculis barbaris sperare interierunt; dum soli monachi, monasteriis inclusi, litteris vacabant, qui a mundi consideratione secluſi, naturæ spernebant contemplationem, vulgoque imperito nugis decipiendo intenti naturæ scientiam habebant odio, ejusque cultores ut magos persequebantur, librum hunc naturæ, divino licet exaratum digito, revelationi alteri directe oppositum dictitantes. Hinc miracula coram ignaro vulgo factitata pluresque ab his divi instituti, quam apud priscos Romanos erant numina. His quoque seculis tot etiamnum retentæ horum fabulæ & historiolæ de *Spectris montanis*, *Laribus domesticis*, *Faunis* sylvestribus, *Scurris* tenebrarum & *Neptunis* atque *Sirenibus* aquarum incolis, cum aliis *Luciferi*, ut fingebant e coelo detrusi, sociis, qui ubique putabantur obvii; quæ opinio apud plebem in terris minus excultis ita invaluit, ut vix evelli posse videatur. Quin etiam naturæ monstra & prodigia excogitabant innumera. Aurora post tenebras barbariei primum exorta, Theatrum inde sese Naturæ spectatoribus offerebat horrendum, atque a divino prorsus alienum. Prodeat speciminis loco gravis isto tempore auctor CUBA, qui statim post miseram hanc barbaræ superstitionis noctem *Hortum* edidit *Sanitatis*, ubi facies historiæ naturalis istius ævi ex sequentibus colligi potest.

CE-

CERASTUS ſerpens, cornibus octo bovinis longioribus.
JACULUS ſerpens, alis pennatis.
PEGASUS, Bos cornutus, alis pennatis.
GRIPHES Leo alatus.
OPIMACHUS, Lepus alatus, roſtro avis.
LEPHUS, Homo capite canis.
ONO-Centaurus, Homo capite aſini.
HARPYA, Gallina capite hominis.
DRACONCOPEDES ſerpens capite humano.
BASILISCUS Gallus gallinaceus, cum cauda ſerpentis.
ZITIRON, Miles galeatus, in piſcem deſinens.
NEREIS, Homo ſquamoſus, cauda piſcis.
PLATANISTA, Virgo cum cauda piſcis.
SIRENA, Virgo mammata capillis longis, cum cauda piſcis.
MONACHUS marinus, Homo capite manachi in piſcem deſinens.
LEPUS marinus undique ſquamoſus.
KOKY, Capra ſquamoſa, digitis humanis.
EQVUS marinus, Eqvus in piſcem deſinens, & ſecenta alia, quæ recencere pudet ac miſeret Seculis vero inſequentibus naturæ ſcrutatores ſuis duntaxat oculis credentes, figmenta veterum eliminabant. Difficile tamen fuiſſe vetuſtas tollere opiniones, vel ex eo conſtat, quod monſtroſi DRACONES pingerentur adhuc a *Kirchero*, in *mundo ſubterraneo*, & in *itinere Scheuchzeri helvetico*, creditumque fuerit ANSERES SCOTICI arboribus creſcere, atque e Lepadibus in Anates formari. Auſus fuit *Seba* HYDRAM proponere ſeu conem ſeptem capitibus deformem, & adcurati ſatiſtores *Bellonius* & *Rondeletius*, *Bonarum* marinum ſcu piſcopum piſcem non prorſus impoſſibilem judicaru

Hominibus autem vitam maxime ſolitariam degentibus, ut Venatoribus, Piſcatoribus & Nautis diutiſſime tales adhæſerunt fabulæ, ſibi nempe & aliis res abſonas facile perſvadentibus. Abyſſi maris tamen rimari producta difficillimum fuit, unde marina quoqe monſtra diutiſſime in obſcuro latuerunt, cum negare non ſemper liceat, quæ non vidimus ipſi. Admirandos videbant Cetos, Rajas & alia inſolitæ figuræ animalia, & Chimæram in littora ejectam pro miraculo habebant, phrygiis & Dedaleis ſinubus exarata fronte, talem hominibus ornatum diſſuaſuro. Homines primis temporibus ad Indias navigantes in itinerariis ſuis multa nobis narrant admiranda, inque hic SIRENES, a Græcis memoratas, ſuper aquas ſedentes, virginibus ſimiles, mammoſis pectoribus & facie humana, binis brachiis & manibus, coma longiore, inferiori parte in piſcem abeunte, vide *Barchewizium* in *Hodœporico Indiæ Orientalis 1730. 8vo* conf. *Hæſæi diſſert. Philolog. p. 520. Hiſtorico-Political Geograph. Lond. 1729.* Quin & *Barthol. hiſt. anat. I. p. 188. tab. 188*, Sirenem exhibet in mare Braſilienſi captam & a Pavio Lugduni diſſectam, capite calvo, ceteroquin humano ſimili, binis brachiis & manibus, ſed inſtar Anſeris palmatis, mammis in pectore, prominentibus auriculis cum collo, inferiori parte in oblongum, abſque cauda, contracta; (vid. *fig. noſt.*) Hæc vero noſtrati immortalis memoriæ *Artedio* perſvaſerunt, ut Sirenem inter *genera piſcium p. 81* exhiberet. Ante aliquot annos in *novellis publicis e Dania* Siren prope Nycopiam capta, & in ſitula majori viva adſervata, permultis ad fidem faciendam momentis narrabatur; Quam ob rem Nob. D. Præſes, tantum naturæ miraculum viſurus eo proficiſci paratus fuiſſet, niſi coma huic prodigio longa tribuebatur, quam in animali marino exiſtere non poſſe perſpexit. Litteris igitur ad *Reg. Academiam ſcientia-*

entiarum, atque ad noſtrum *in Aula Danica Oratorem* miſſis rogavit, ut hæc adcuratius inveſtigaretur; accepto reſponſo fabulam meram fuiſſe comperuit; nihilque poſtea de novis Sirenibus accepimus.

§. II.

Veterum mirari eruditionem, & quæ alii de ſirenibus commentati ſunt, omnia huc tranſcribere ratio inſtituti non permittit. Paucis monebo, SIRENES ex fabulis veterum, animalia fingi marina, bimis brachiis & manibus ac digitis, inferne in piſcem deſinentia, ſine pedibus, inſtar hominum natantia, voce peracuta. Cantum earum flexanimum atque ex ſono muſico delectationem, qualis Apolline fidibus ludente Delphinis contigiſſe creditur, plerique loquuntur veteres, unde & Delphinos veterum Sirenes fuiſſe nonnulli ſibi perſvadent. Sed Delphinos nihil niſi Manatos fuiſſe, probabile eſt, quippe qui etiamnum unica ſunt animalia marina, quæ ſvavior capit ac delectat Muſica.

§. III.

Ad maximum autem noſtro tempore evecta faſtigium, hiſtoria naturæ uniformem aperuit operum divinorum catenam, docuitque naturam nihil facere per ſaltum, ſed per lentos gradus ab uno procedere ad alterum. MAMMALIA pilis natura texit, *pedibus* quatuor inſtruxit; & ſi in aquis verſantur conjunxit pedes poſteriores non in caudam piſcis, ſed in formam caudæ. Omnibus his & quidem in toto animalium grege ſolis *mammas* adtribuit. AVES *plumis* ſolæ veſtiuntur, duobus gradiuntur *pedibus*, anterioribus in formam alarum & mandibulis nudis in roſtrum protractis. PISCES imbricatis obteguntur *Squamis* & *Branchias* habent ſine pulmonibus ad reſpirandum. *Manati* quidem & ſerpentes nonnulli ſquamas habere videntur, ſed quæ alio plane modo formatæ

ſunt atque adornatæ. AMPHIBIA quæ in nonnullis ad piſces tam prope accedunt, ut ſanguine frigido & ſæpe branchiis, *Pulmonibus* tamen ab illis ſunt diſtincta. VERMES nudi ſunt, unico & ſæpe nullo oſſe interno. INSECTA etiam oſſibus internis deſtituta, ſed cataphracta, diſtingvuntur poris ſeu *ſpiraculis* lateralibus & *Antennis* ſibi propriis. In his omnibus mira omnino occurrit qualitas, quæ naturæ curioſorum multum excercuit ingenia, nempe *Metamorphoſis*, quæ non minus, quam iſta Ovidiana, eſt paradoxa. Plerisque hæc competit inſectis, præter Aptera; raro in Vermibus viſa eſt, ſed aliquando tamen in Cypreis, inque Amphibiorum Lacertis, Oſtracionibus, Diodontidibus, aliisque non multis, paſſim conſpicitur. Per Metamorphoſin ejusmodi unum idemque animal Larvis diverſimodis in Theatrum hoc prodere obſervamus. Quis niſi expertus Larvam inſtar perticæ teretem gravem atque edacem, pedibus ſexdenis, & aculeis per omnia armatum, in Papilionem levem, quatuor volantem alis, coloribus ſuperbientem, & ad mella tantum exugenda aptum commutari poſſe crederet? Quis Ephemeram fragilem in aere volitantem, a larva draconiformi & gulosa transformatam diceret? Quis myrmeleonem Araneæ haud abſimilem, mandibulis voraciſſimis cornua cervina referentibus, in tenerum commutari neuropteron affirmaret? Quis Ranam cauda aliquando fuiſſe inſtructam lacertina crederet, hancque lacertam piſciformem fuiſſe, Cotto quam ſibi ſimiliorem. Has metamorphoſes in gradationibus naturæ obſervandis adcurate ſequi decet, atque in catena antrorſum procedere, non retrorſum ut Meriana & Seba, qui transmutatione retrograda Ranam paradoxam in piſcem abire putabant. Animalia certe ejusmodi per larvam minus agnoſci poſſunt, quam in Theatris ſcenicis homines larvati; at dolendum eſt curioſos nondum ullam invenis-

ſe

se theoriam, qua species perfecta, quam larva dabit incognita, determinari possit. Sic nondum novimus an *Gryllus perspicillatus* alas habiturus necne, & nemo *Gryllum pedestrem*, facie & structura pupæ simillimum, pro perfecto haberet animali, nisi in copula fuisset observatus. Quin & *Cimices* lectularii revera non sunt nisi larvæ seu pupæ, quæ apud nos nunquam declarantur, sed immutati sine alis multiplicantur, utrum in terris calidioribus declarentur cum alis, ut D. *Scopoli* in sua *Carniolica* perhibet, in medium relinquimus. Idem forte in his obtinet, quod in Ruellia clandestina, Amannia latifolia & aliis floribus mutilibus nonnullis, qui petala apud nos, nisi in summo æstu, non expandunt.

§. IV.

Theatrum igitur hujus universi considerans mirari non satis possum admiranda summi artificis opera in Regno VEGETABILI, quæ, antea ignota nostro seculo a diligentissimis naturæ scrutatoribus sunt detecta; in India Orientali a Rumphio & Burmanno; in Occidentali a Plumier, Brownio, Jaquino, in America Septentrionali a Claytono, Kalmio; in Asia boreali a Gmelino, Stellero, Messerschmidio; ad Caput bonæ spei ab aliis, quæ incredibilem efficiunt numerum. Stupendæ sane heic sese offerunt proprietates. *Ceratocarpus* a vento per Campos Tartariæ patentissimos volvitur ab uno termino ad alterum, perinde atque *Anastatica*, quæ in mari rubro a littore ad littus jactatur. *Sarracena* formatur a Nymphæa & folia ejus in infundibula transformantur, ut tanquam herba aqvatica in continenti aquam sibi asservare qeaut. *Bromelia Karatas* fructus suos ad terram minacibus spinis abscondit usque dum matureſcunt, quos sponte deinde offert. *Laurifolia Sloan jam tab. 168*, corticis philyras profert reticulatas niveasque quasi mulierearum manibus

bus artificioſe contextas. *Valliſneriæ* flores maſculi circa fœminam ſuam, velut inſecta viva, ab herba ſua ſeparati natant. Sed ſingulis immorari longum foret. ANIMALIA antiquis tantopere neglecta, ad numerum decuplo majorem noſtro ſeculo, in admirationem Divinæ ſapientiæ, ſunt detecta. Primum nobis innotuit, *Cete* animalium maximum, militare ſub claſſe mammalium, at *Sorex minutus*, animal mammale omnium minimum, cujus gravitas 3j non ſuperat. Cognitus nobis eſt *Gryphus* avium omnium maxima, & turma integra *Trochilorum*, quorum minimus pondere Scr. 1 exæquat. D. Jaqvin *Parram* detexit Gallinas ab avibus rapacibus, ut canis oves, cuſtodientem. *Pſittacus pendulinus* altero pede ſub ramis ſuſpenſus dormit. *Buphaga* ad larvas œſtrorum e dorſo vaccarum eximendas ordinata eſt; Acaros in his carpit *Crotophaga*, *Pſophia* ore cantat & reſonat ano. *Serpentes* faſcinantur Ariſtolochia, & amphibia minora faſcinant animalia, in ipſorum ut involent fauces. *Gymnotas electricus*, ipſa Torpedine mirabilius electricum facit impulſum. Inter piſces *Cyprinus auratus* nitore aurum fere vincit. *Fulgora facis* inſtar lucet. *Cancer ruricola* chelis a corpore abruptis violenter comprimit ſuum hoſtem. *Gordius* argillam, ut piſcis aquam, permeat. *Hydræ* & plura ſunt animalia compoſita. *Corallia* ab animalibus ſunt conſtructa. *Gorgoniæ* vegetabilia ſunt, flores vero earum animalia. *Volvox* natos nepotes pronepotes & nondum natos in ſe gerit. *Uſtilago hordei* viva eſt. *Chaos redivivus* per totum annum ſiccari poteſt & tamen per aquam inſtar muſci reviviſcere, ut cetera brevitatis ſtudio taceam.

§. V.

PISCIUM claſſis minimas obtinuit acceſſiones, ſed hanc Cel. D. *Garden*, qui in auſtrali habitat Carolina Americes, valde locupletavit, & miſſis perbene vole ad

N. D.

N. D. Præſidem omnibus fere Americæ borealis piſcibus, immortale nomen meruit. Idem rogatu N. D. Præſidis piſces *branchioſtegos* Anatomice diſſecuit, ad exquirendum, an præter branchias pulmonibus quoque eſſent inſtructi; Invenit autem hos perſpicue atque extractos probe ſervatos huc transmiſit. Phœnix hic idem unicuſque Carolinæ nuper N. D. Præſidi animal miſit aquaticum, formæ adeo ſingularis, ut cum nullo alio, quantum ſcio comparari, neque ad ullum animalium ordinem huc usque ſtabilitum referri poſſit. In hoc autem maxime eſt admirandum, quod duos tantum pedes habeat anteriores, poſteriores vero nullos, quale nullum uſquam animal eſt inventum. Quod enim ad Cete attinet, pedes habent poſticos in formam caudæ concretos, ut antea dictum eſt; hoc vero cauda terminatur, velut anguilla, adeoque fabuloſis antiquorum Sirenibus eſt perſimile; inprimis cum inſtar avis vocale ſit, quæ dos, præter homines, avibus tantum eſt propria. Hoc igitur animal dignum judicavi, quod curioſis exhibeatur, quia novum eſt, atque ab aliis omnibus diſcrepat.

§. VI.

Ut diſtinctam hujus ideam Lectori tradam, FIGURAM ejus & DESCRIPTIONEM primum adponere lubet.

CORPUS anguilliforme, alepidotum, ſpithameum ſeu vix pedale, craſſitie pollicis, teritiuſculum, obſcure cinereum, adſperſum maculis plurimis pallidioribus. Lateribus rugis, inter caput & anum, utrinque quadraginta. *Lineæ* laterales duæ utrinque. CAPUT *Lacertæ*, corpore non craſſius, ovatum, cute nuda tectum. *Oculi* duo, minuti, cute communi tecti. *Nares* duæ ad latera roſtri *Labii* ſuperioris lineares, minutæ. *Maxillæ* labiis tectæ, quarum inferior brevior. *Maxilla* ſuperior dente unico, marginali, ſubcrenato. Series præterea dentium mini-

morum utrinque unicus in palato. *Maxilla inferior* dente unico per totam mandibulam extenſo acie acuta, ad cujus latera dentium minimorum ſeries verſus gulam digeſta. *Lingua* ſubrotunda, glabra. *Aurium* loco ſunt opercula branchiarum utrinque, ſolitaria, pendula, carnoſa, tripartita, quarum lacinia ſuperior trifida, reliquæ tantum crenatæ. Aperturæ brachiarum minimo foramine perviæ. PEDES anteriores juxta caput vel pone opercula breviſſimi, ſeu capite breviores, armis extra corpus extenſis. *Ulnæ* craſſitie armorum, teretiuſculæ. *Palmæ* carnoſæ, digitis quatuor breviſſimis, quorum exterior reliquis brevior. *Ungves* ſubulati, acuti, breviſſimi. *Pedes* poſteriores omnino nulli. *Anus* ſitus eſt duas tertias a capite. CAUDA altitudine fere corporis, ſed compreſſa; ſupra & infra anceps, carina linea parallela exarata, poſtice deſinens rotundata vel vix acuminata.

Addam huic noſtræ deſcriptionem, quam D. GARDEN ipſe fecit in loco natali, ſecundum vivum animal, unde delineatio quoque interna & Anatomia perſpici poteſt.

Animal aquaticum, facie inſolenti livide torva. Caput depreſſum, latum, maculatum, oblongum, ſerpentiforme. *Ore* ſimo, largo. *Roſtro* vix productiore: Labio ſuperiore inferiorem recipiente & ad angulos tegente. *Nares* utrinque ſolitariæ in junctura labii ſuperioris cum roſtro ſitæ, amplæ, & ab invicem diſtantes. *Oculi* parvi luridi ſubcærulei, in plano capitis ſuperiore ad latera ſiti. *Membrana branchioſtega* nulla. Operculla branchiarum adſunt utrinque, appendices ſcilicet tres, longiores, craſſiores, latiores, lubriciſſimæ, latere pendulæ, aures caninas qvaſdam apprime referentes. *Branchiæ* utrinque quatuor, quarum duæ intermediæ liberæ, & duæ alteræ, ſuperiori vel inferiori branchiarum foraminis lateri affixæ: *Exterius* planæ, nudæ vel fimbria plumacea deſtitutæ. *Interius* tuberculis quibusdam aſperis, acutis, lon-

longis, dentiformibus, in seriebus duabus munitæ. *Dens* tantum unicus indivisus per totam maxillam inferiorem extenditur falcatus, niger, corneus margine acuto integro. Ad latera maxillæ ejusdem longitudinaliter gulam versus porrigitur utrinque series dentium ima minimorum acutorum. Mediam & anteriorem partem maxillæ superioris occupat quoque dens unicus eadem consistentia & colore, ut alter maxillæ inferioris, multo tamen minor, margine quoque subcrenato; *Palato* utrinque seriebus dentium parvorum acutorum plurimis obsito. *Lingua* maxillæ inferioris fundo intus ad radices adhæret simplex, mollis, undique glabra, anterius subrotunda, apice & marginibus libera & soluta. *Corpus* crassum, teretiusculum, dorso autem parum depresso in adultis, ventre plano, ad anum subrotundum, hinc cathetoplateum, attenuatum. *Cauda* utrinque alata. *Cutis* mucosa, lubricissima, maculis plurimis hinc inde aspersa; squamæ adeo exiles & imperceptibiles, ut nisi in pisce siccato non conspici possint & tunc cute obductæ, apparent fixæ, & raræ. *Lineæ laterales* utrinque duæ ex maculis fuscis longioribus longitudinalibus constantes, quarum una ex pedum, altera ex operculorum branchiostegorum axillis originem trahit. *Anus* ad imum ventrem, circa medium piscem situs, satis amplus & largus. *Pedes* branchiis approximati, ventri tamen vergentes, duo inveniuntur, femoribus, tibiis, plantis distinctissime constantes, tetradactyli, singulo digito ungviculo conspicuo armato. *Thorax* anterius cartilagine munitus & præsidio & habitatione cordi & transitui Asperis arteriis inservit & continet *Cor* inauritum, parvum pro magnitudine piscis. *Pulmones* maximi longissime a thorace ad anum usque per totum abdomen dorso approximati, & ligati extenduntur saperati, distincti & Pulmoni utriusque lateris trachæa propria per Thoracem decurrens inservit,

& communicationem cum branchiis ſervat. *Hepar* omnium maximum, pulmonibus equidem brevius multo, tamen craſſius & ponderoſius. *Fellea* veſica ſatis longa, circa medium Hepatis collo ſuſpenſa. *Inteſtinum* vix multo piſce ipſo longius, convolutiones paucas habens, ad anum tendit, ſenſim in decurſu ampliatum ad finem uſque, ventriculo autem notabili vel appendicibus ullis haud præditum.

OBSERV. Inveniuntur duo alia viſcera prope anum ſita, ſingula bipartita, craſſa, quorum uſus haud mihi innotuit. Habitat hoc animal in *Carolinæ auſtralis uliginoſis* aquoſis, ubi vivit tam in, quam extra, nam ex aquis adſcendit in truncos & ramos undis illapſos; cum exſiccantur paludes, ubi hoſpitatur, iis nempe anni tempeſtatibus, quibus heic per nonnullos menſes non pluit, canit voce querula, anatum juniorum fere ſimile, ſed acuta magis atque clara, ut D. Garden in litteris ſuis etjam narrat.

FIGURA magnitudinem oſtendit naturalem. vid. Tabulam.

§. VII.

Idea hujus animalis propoſita, ſupereſt ut idem *Syſtematice* etjam, atque ad alia relatum animalia, conſideremus. Ex pulmonibus eiſque juncta reſpiratione patet; 1:o Quod ſit AMPHIBIUM; non enim ſunt alia animalia pulmonibus inſtructa præter Mammalia, Aves & Amphibia. *Mammale* hoc eſſe nequit, ſine pilis & mammis; neque *Avis* ſine pennis & mandibulis nudis protractis; *Amphibium* igitur erit, nudum, pedibus anterioribus binis, poſterioribus nullis. Amphibia diſpeſcuntur in *Reptilia*, quæ quatuor habent pedes, ſine branchiis, & in *Serpentes*, qui non habent pedes aut pinnas, nec branchias, atque in *Nantes*, quæ pinnis & branchiis gaudent. Angvis bipes quidem, duos habet pedes poſticos, anterioribus deſtitutus, ſi modo pedes dixeris rudimenta

menta potius pedum, filamentis ſimilia, digitis binis. In hac claſſificatione ad reptilia proprius accedit noſtra Siren, atque in his ad *Lacertas*, ut vero Lacerta bipes conſiderari poſſet, niſi obſtarent branchiæ nantibus propriæ, quo minus ad primum amphibiorum ordinem referatur. Nantes quidem pulmonibus gaudent & branchiis, æquæ ac Siren noſtra, ſed quia veros hæc habet pedes cum unguibus, ordini ſane huic naturali adſcribi nequit. Sonus aut cantus ejus valde ſingularis eſt. *Rana arborea*, cum aliis nonnullis Ranis, ſonum quidem habet, ſed qui comparari cum hujus voce nequit, qua inter amphibia excellit. Si igitur hæc Syſtemati inferetur, novus ordo, poſt reptilia, erit conſtituendus, qui animalia contineat *bipeda & pulmonibus & branchiis reſpirantia*, atque adeo & in aquis & in continenti, magis etjam quam Nantes, viventia.

§. VIII.

Tetigimus antea Metamorphoſin nonnullorum animalium & amphibiorum admirandam. Hæc in Lacertis plane ſingularis obſervatur; quamdiu larvæ ſunt, aquas incolunt, piſcibus ſimiles, brachiis ad caput binis pectoralibus; ubi transformantur, tunicam exuunt exteriorem & pedibus gaudent. Cum e Carolina animal hoc ad Nob. D. Præſidem per D. Ellis Londino huc mitteretur, acutiſſimus & oculatiſſimus hic naturæ ſcrutator ſcripſit, probabile ſibi videri Larvam hanc eſſe Lacertæ *Igvanæ*, quod nomen quoque Americanum *Mud-Igvana* forte indicat. Sed res utique nondum ſatis liquet, cum digitos dabeat unguibus inſtructos, quibus nulla gaudet larva lacertæ nobis nota. Lacerta enim *Aquatica*, *Paluſtris*, *Punctata* & *Salamandra* digitos habent muticos; accedit vox animalis hujus, quæ larvæ competere non videtur; quatuor in manibus digiti, animal hoc larvam cognitæ alicujus Lacertæ non eſſe oſtendunt, nedum Igvanæ,

quæ quinque in pedibus anterioribus habet digitos. Fieri enim non posse videtur, ut quatuor in larva digiti, in animali declarato quinque efficiant. Multiformis tamen natura est, cui leges frustra scripseris.

CONCLUSIO.

Nostram jam de animali hoc novo & scriptoribus ignoto sententiam, generisque ad quod spectet, determinationem expectat fortassis Lector curiosus. Sed in tanta naturæ varietate vix quidquam a priori demonstrari potest, nisi in illis locis, ubi Catena Naturæ non interrupta serie cohæret. Ex his igitur duobus, alterum erit statuendum: aut enim Larva est cujusdam Lacertæ, aut distinctam constituit Speciem. Quominus autem sine observationibus specialioribus Larvam hanc esse Lacertæ credamus, obstant 1:o *Pedes* anteriores seu manus duæ, non quatuor; 2:o *Ungves* digitorum, in larvis Lacertæ nunquam observati. 3:o *Branchiæ* Pulmonibus adjunctæ, quibus itidem carere solent larvæ Lacertarum, 4:o *Sonus* vocalis avis, cum larva muta semper forte fuerit. 5:o *Digiti* quatuor, ut antea diximus, in pedibus, non quinque ut in omnibus lacertis, præter Lacertam vulgarem, ad quam referri minime potest. Suspensos autem nos tenet *visus* istud singulare, quod intra anum observavit D. Garden.

Si vero supponimus declarandum hoc esse animal, nec larvatum, ad Nantes pertineret; sed Nantibus pinnæ, non brachia exserta cum digitis ungviculatis, competunt, ad horum igitur ordinem referri nequit, neque in ordine Reptilium novum constituit Genus bipes, cum præter pulmones etjam branchiis sit præditum, quibus reptilia omnino carent atque etjam Serpentes. Superest igitur ut novus *Ordo* in classe amphibiorum esset constituendus, animalia pedata pulmonibus branchiisque in-

instructa continens, atque in hoc, novum & proprium *Genus*, cujus character esset: *Animal amphibium bipes* quod apte vocari posset SIREN, quo nomine veteres animal notabant aquaticum duabus manibus, sono vocali, cujus corpus posterius desineret in piscem. Quæ enim de Sirenum facie humana, pectore mammato, capite piloso, &c. tradiderunt, plane videntur fabulosa. Addimus tandem *nomen triviale*: LACERTINA, ob similitudinem cum lacertis & imprimis quo ad caudam cum lacertis aquaticis: DIFFERENTIA specifica eo minus opus est, cum animal nullum ejusmodi, in tali Genere sit detectum. Non tamen hoc statim Systemati animalium inserendum putamus, donec plures in solo natali institutæ fuerint observationes. Nobis animal adeo rarum descripsisse & curiosos ad accuratiorem ejus considerationem incitasse sufficiat.

TANTUM.

***

Domino RESPONDENTI, *Amico integerrimo.*

Dum celeri gressu petis alma cacumina Pindi,
Quæ tibi debentur, præmia justa cape.
Gloria non desit claris virtutibus, opto,
Divitis & fructus commoda multa legas.
Numinis auxilio semper lætere benigni,
Illius & constans te tueatur Amor.

J. S.

Domino RESPONDENTI *& Amico honoratiſſimo.*

Data præſenti occaſione, qua edere paras, Amice, Diſſertationem elegantiſſimam, utpote laudabilem teſtem non minus ingenii felicioris, quam ſolidiorum profectuum in Hiſtoriæ Naturalis ſacrario, pro amicitia, quæ nos inter, longiori tempore, illibata interceſſit, omittere non potui, quin aliquo gratulandi officio defungar. Optarem, liceret dotes Tuas, quemadmodum oporteret oratione perſequi, ſed ſufficiat eruditionem, Tuam virtutumque decentem chorum memori animo imprimere, quoniam ultra lætitiam, paucis declarandam, jejuna nihil valet mea dicendi facultas. Interim, ſi qua in me eſt ſinceritas, ſi qui candor, pro eodem, Tibi, in paucis dilectiſſime, gratulor hoc inſigne doctrinæ ſpecimen, conjunctum cum variis ornamentis, quibus favorem omnium, qui virtutis bonarumque artium ſcrutatores ſunt, concilies, & felicitatem Tuam firmam atque inconcuſſam reddas. Quod ſi fiat, uti certo fieri ſpero & confido, nullo deerunt tempore fructus laborum, quos gratiores Tibi ex animo adprecor, adprecaturusque ſum, dum vixero,

CHRIST. ERN. BŒCLER.

SIREN lacertina



Siren Bartholini

B.M. Hall mad Stud del

C.Bergquist sculpsit